

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Disputatio de Votis**

**Heerbrand, Jakob  
Vischer, Balthasar**

**[Tubingae], 1586**

Generosis et magnificis stiriae proceribus, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-128922](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128922)

GENEROSIS ET  
MAGNIFICIS STIRIÆ PRO-  
ceribus, eiusdemq; Ducatus Ordinarijs, Do-  
minis suis officiosè colendis.

S.

**A**NTE biennium, Generosi & Magnifici  
Domini, ciuem vestrum & alumnum,  
Balthasarem Vischerum, huc ad nostram  
Scholam, propter studia Theologica potissi-  
mum, vestris mihi commendatum literis,  
misistis. Et quidem agnosco ac libenter fa-  
seor, me hoc sine in hanc honestissimam stationem collocatum,  
ut cum alijs, studia iuuentutis formem. Quod hæcenus per  
Dei gratiam, pro virili facere studui, licet meam tenuitatem  
facile agnoscam: spero tamen laborem meum, sicut & Collega-  
rum, non fuisse irritum in Domino. Laude autem dignum est  
institutum vestrum, quod sicut ad studia iuuentutis promou-  
enda, magnis sumptibus Scholam aperuistis, in qua liberali-  
um artium, linguarum & disciplinarum, ac pietatis fundamenta,  
vndiquaq; conuocatis viris doctissimis docerentur: ita pari  
cura, de publico in eadem, bona ingenia, de quibus spes est, ali-  
quando Ecclesie vestra vsui, ornamento, presidio & emolumen-  
to fore, foueris. In quorum numero, hic quoq; Balthasar vester  
est, qui profectus sui, in studio Theologico, ut & vobis tempo-  
ris hic apud nos acti, & sumptuum rationem redderet, speci-  
men aliquod adere tyrociniūq; facere constituit. Qua in parte  
illi deesse nolui, sed conatus ipsius honestissimos, in vandos esse  
putavi, prescripta hac materia, de Votis, & ad disputandum  
proposita, in qua vires ingenij experiretur.

Hanc

Z. 8

Prefatio.

Hanc nomini vestro, Magnifici & Generosi Domini Proce-  
res, ipso petente, quo gratiorem se redderes, inscribere volui,  
simulq; studia ipsius V. M. & G. commendare: & petere, ut  
deinceps quoq; ea, vestra liberalitate, quod facitis, iuuare &  
promouere non grauemini, Quo feliciter capta, aliquandiu  
adhuc continuare liceat, & deinde maiori cura fructu, Eccle-  
sia vestra praesse, Deo iuuante, laboribusq; eius incrementum  
dante, possit. Quod vos pro vestra pietate & sapientia, haud  
difficiliter facturos confidimus. Vicissim ipse in id incumbet  
vnice, ut operam suam & studium omne ad id conferat, ut  
instructus & auctus scientia, rerumq; sacrarum cognitione,  
domum reuersus, vtiliter suo Ministerio seruiat Ecclesia.  
Quod facis Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi, qui &  
Generosos & Magnificos vos Ecclesia, atq; studioru patromsq;  
diuissime florentes conseruet, & pietatem hanc in altera  
beata vita, gloria sempiterna compenset, Cui vni, soli, vero  
Deo V. M. & G. nosq; omnes comendo. Scripsit  
Tubinga die AEquinoctij verni  
Anno 1586.

Vestram generosam  
Magnificentiam.

Summa obseruan-  
tia colens.

Iacobus Heerbrand D. &  
Professor Theologiae in  
Academia Tubingensi.